

Motus circularis sursum est, quando pendulum fertur (vid. Schema) ex E ad A, vel ex E ad Z.

Motus circularis deorsum est, quo fertur ex A ad E, vel ex Z ad E. Est autem simul partim perpendicularis, partim Horizontalis.

Dum enim movetur ex A ad E, non potest non eodem tempore percurrere & perpendicularem PE. & horizontalem AP.

DEFINIT. IV.

*Vibrationes Penduli sunt oscillationes ultra citraque perpendiculararem motu reciproco factae.*

Et sunt vel simplices vel duplices.

Vibratio simplex est unicus penduli transcursus ab eodem specie termino à quo ad oppositum specie terminum ad quem, ut ex A ad Z.

Vibratio duplex est reciprocus penduli transcursus ab eodem specie termino à quo ad eundem specie terminum ad quem, itus per A E Z, reditus per Z E A. Ut ut ad A, iterum ob motus circularis languorem pertingere non possit.

Semivibratio est ascensus penduli à perpendiculari tanquam termino à quo; vel descensus ad eam, tanquam terminum ad quem, ut ex E ad A, vel ex A ad E.

DEFINIT. V.

*Longitudo penduli est linea à centro motus naturalis penduli ducta ad centrum ponderis ejusdem, ut PE. vel PD.*